

THESIS XXVII.

Naturales rationes minime desunt, quibus mala sive physica sive moralia, quae in hoc mundo cernuntur, cum divinae Providentiae ordinatione apte cohaereant. Manichaeorum hypothesis huius rei explicandae gratiae inepte omnino ac perabsurde adhibetur.

558. **Probatio I. partis.** — Sermo est in hac prima parte de malis tantum *physicis*. Iam age, in praecedente Disputatione ostensum est [498, II], nihil prohibere, quominus divina voluntas in mala huius generis feratur, non quidem ea intendendo quasi finem, sed eligendo dumtaxat quasi media ad bonum praestantioris ordinis obtinendum. Ut igitur ea apte conciliantur cum divinae Providentiae ordinatione, satis erit ostendere quae sint bona quae inde divinitus eliciuntur. Si enim pluris facienda sunt haec, quam ea quorum privatione constituuntur mala physica huius universalis, eo ipso manifestum fiet, nihil esse in horum malorum permissione quod cum sapientia et bonitate divinae Providentiae non cohaereat. Atqui res ita habet. Etenim, ut ante ostensum est [534, nota], bonum universale totius mundi praefendum est, secundum rectum rationis dictamen, bono particulari singularum partium, ideoque expedit, defectum in aliquo particulari accidere, ne impediat bonum totius universi. Atqui universale bonum ordinis mundani postulat, eiusmodi particulares defectus accidant: corruptiones siquidem naturales rerum particularium conducunt ad generationem qua species ipsa conservatur, et punitio impiorum ad iustitiae ordinem reparandum. Ad rem S. Thomas. * Malum quod in corruptione rerum aliquarum consistit, reducitur in Deum, sicut in causam. Et hoc patet tam in naturalibus quam in voluntariis. Dictum est enim art. praeced., quod aliquod agens,

in quantum sua virtute producit aliquam formam ad quam sequitur corruptio et defectus, causat sua virtute illam corruptionem et defectum. Manifestum est autem, quod forma quam principaliter Deus intendit in rebus creatis, est bonum ordinis universi. Ordo autem universi requirit, ut supra dictum est q. 48. a. 2., et q. 22. a. 2. ad 2., quod quaedam sint quae deficiere possint et interdum deficiant. Et sic Deus in rebus causando bonum ordinis universi, ex consequenti et quasi per accidens causat corruptiones rerum... Ad ordinem etiam universi pertinet ordo iustitiae, qui requirit ut peccatoribus poena inferatur: et secundum hoc Deus est auctor mali quod est poena. (Summa th. 1. p. q. 49. a. 2.)

Neque obstat huius ratiocinationi quod saepe videamus, impiis hominibus res fere omnes prospere evenire. Imprimis enim, si perpendatur conscientiae stimulus interior et futurae poenae praesensio qua selesti homines torquentur, non adeo felix sed aerummosa potius dienda erit ipsorum vita. Praeterea, nemo est adeo pravus, ut quandoque saltem virtutis opus aliquod non exerceat: expedit itaque, ut mercedem aliquam in hac vita recipiant; aeterna siquidem poena in futura vita ipsorum facinora punientur, nisi respiciant. Denique, aliis omissis, huc etiam facit, quod haec agendi ratione divinae Providentiae maxime edocemur, bona istiusmodi non magni facienda esse, quum videamus ea communia esse iis quoque qui omni malorum genere sunt digni (1).

Nec etiam obstat, quod plerumque etiam cernamus, bonos frugique homines vitam undique aerummosam ducere, quum potius sorte longe meliore digni videantur.

(1) * Placuit divinae Providentiae praeparare in posterum bona iustis, quibus non fruentur iniusti, et mala impiis, quibus non exercebuntur boni. Ista vero temporalia bona et mala utrisque voluit esse communia, ut nec bona cupidius appetantur, quae mali quoque habere cernuntur, nec mala turpiter evitentur, quibus et boni plerumque afficiuntur. S. AUGUSTINUS (1. Civit. c. 8).

Luculenter hac in re divinam Providentiam vindicavit Chrysostomus in 1. Hom. ad *Populum Antiochenum*, ubi undecim sapientissimas rationes adducit, quibus bonitas divinae Providentiae in huiusmodi tribulationibus mirifice ostenditur. Prima est, ne boni facile propter meritorum magnitudinem in arrogantiam extollantur. Secunda, ne ceteri maiorem de ipsis opinionem concepiant, quam humana patiatur infirmitas, eosque quasi Deos venerentur. Tertia, ut hac ratione Dei virtus splendidius elucescat, dum per aegrotantes et compeditos et quasi in agone positos vincit ac veritatis praedicationem auget. Quarta, ut ipsorum patientia manifestior fiat, et sincera in Deum benevolentia, dum huius vitae mercede minime egent, ut in virtutis tramite fideliter incedant. Quinta, quia sic inviti etiam de resurrectione seu futura retributione cogitare adigimur. *Quum enim*, ait Chrysostomus, *cirum iustum et multa plenum virtute, innumera passum mala, et sic hinc digressum videris, vel inquit de futuro tibi iudicio cogites oportet. Si enim pro se homo laborantes sine praemiis et retributione abire non permittit; multo magis eos qui tantum laboraverunt, nunquam incoronatos remanere Deus decernet. Si autem ipsos laborum suorum retributione privare nobis, omnino necesse est, quoddam aliud tempus esse post praesentium finem, quo praesentis vitae laborum retributiones recipiant.* Sexta, ut quum in res adversas incidimus, dolorum mitigationem habeamus, respicientes ad eos qui longe maiora fortiter sunt perpessi. Septima, ne animum despondeamus, quam gesta praestantissimorum virorum nobis imitanda proponuntur: ob aerumnas siquidem quibus eos oppressos videmus, optime noscimus, eos non sublimioris naturae fuisse quam nos. Octava, ut hoc modo discamus, quos vere beatos, quos miseros et aerumnosos putare debemus. Nona, quod probatores tribulatio faciat tribulatos. Decima, quod si aliquas habeamus maculas, et hic eas deponamus. Undecima, quia hoc modo gloriae corona quae in futurum nobis reservatur, mirum in modum aegrescit, iuxta illud Apostoli, Rom. VIII. 18. *Non sunt contignae passionis huius temporis ad futuram gloriam quae revelabitur in nobis.*

559. *Probatio II. partis.* — Restat modo expendendum aliud malorum genus, quae non secundum quid duntaxat, ut praecedentia, sed simpliciter mali nomen merentur, *moralia* scilicet. Haec certe Deus nec per modum finis intendere, nec etiam ut media eligere potest [498, I]. Quare expendere oportet duntaxat, utrum istiusmodi mali permissio cum ordine divinae providentiae cohaerere possit. Id porro sic demonstratur. Ut salva sapientia et bonitate divinae Providentiae, mala id genus in hoc mundo existant, duo requiruntur et sufficiunt. Primum, ea in Deum nullo modo refundi posse, sicut in causam: impium siquidem foret; Deum censere auctorem mali moralis. Secundum, iis existentibus non impediri, quominus Deus obtineat finem quem efficaciter intendere debet in rerum molitione, gloriam suam scilicet ac bonum ordinis totius universi. Atqui utrumque habetur in re praesenti. Probatum assumptione.

I. Ac primo quidem, etsi Deo non impediendo haec mala contingunt, non ideo ipse eorum auctor dici potest. Non enim actio malae voluntatis unius agentis liberi imputatur alteri propterea quod eam non impedit, si illam impedire non teneatur. Atqui Deus minime tenetur impedire actiones malas quae ex libera nostrae voluntatis determinatione proficiscuntur. Ergo mala moralia, etsi Deo non impediendo contingunt, non propterea ipsi ut auctori possunt attribui. Prob. minor. Deus enim, utpote absolutus rerum omnium Dominus, ac plane liber in creando, inter ordines rerum possibles non adstringitur ad unum prae alio eligendum, quum nullum etiam eligere possit [503]. Atqui est manifeste possibilis ordo creaturarum liberarum, quae relinquuntur in sua naturali conditione, in iisque adiunctis constituantur, in quibus expedita sit ipsorum virtus ad bonum et ad malum, ut primum libere possint efficere, alterum libere etiam quant omittere. Ex hoc autem ulterius manifeste consequuntur indefiniti ordines rerum possibilem, in quibus creatura peccatae praevideatur. Ergo Deus pro suo dominio et libertate talium ordinem eligere potest, nec adstringitur ad eum rerum ordinem

dumtaxat eligendum in quo creaturae liberae mala actio minime praevideatur.

II. Patet secundo, praedictae hypothesis permissionem minime obstare, quinominus Deus haec etiam mala efficaciter, etsi consequenter tantum (1), ordinet in suae gloriae manifestationem et totius universi ordinem. Ex his enim malis plurima bona a Deo elici possunt ac reipsa eliciuntur, quibus perfectiones divinae mirifice elucescunt. Ex parte enim ipsarum creaturarum inde habetur exercitium plurimarum virtutum, puta poenitentiae in his qui peccant, fortitudinis in aliis. Similiter ex parte Dei apparet ipsius misericordia in poenitentibus, iustitia in impenitentibus, ipsum etiam divinum dominium eiusque libertas, ut paulo ante ratiocinati sumus. Unde etiam in hoc malorum genere locum habet generale illud pronuntiatum Augustini: *Deus cum sit summe bonus, nullo modo sineret aliquid mali esse*

(1) Consulto sic loquimur. Sedulo enim, in re praesenti, haberi debet prae oculis quod ante notavimus [561]. Deum scilicet nullo antecedente affectu in haec mala ferri, quasi ea eligat, ut mala physica, in hunc finem ut bona inde eliciat. Quocirca horum malorum ordinatio in bonum consequitur dumtaxat ipsorum provisionem. Egregie, ut in aliis multis, haec in re etiam Leonardus Lessius. * Dupliciter, ait, potest aliquod malum permitti. Primum ex desiderio, ut eveniat, nimirum ut inde habeas occasionem alienius boni eliciendi: ut si medicus permittat morbum ingravescere, ut ex curatione plus heretur vel artem suam magis ostendet: et tunc ipsum malum directe est volutum, ut sit occasio illius boni. Secundo, non ex desiderio ut eveniat (nimo displicet si evenit), sed ob aliam causam, verbi gratia ne vicariis importunis (quomodo qui aliorum curam gerunt, nonnulla interdum permittunt), vel ut cognosces conditionem hominis, ut cum pater permittit filium furari et eius invidiam exploret, et si furetur, corrigat. Hoc modo Deus permittit peccatum, etsi summpere ei illud displicat. Habet enim iustissimam causam permittendi... nimirum ut res sinantur agi suis motibus, et vires quas ab ipso acceperunt sponte in opus exerant. Ob hanc tamen causam (quae est eius bonitas) tantum malum non permitteret, nisi sciret ex illo aliud bonum elicere: et ita hoc bonum est causa non finalis, sed sine qua non illius permissionis. (De Divinis Perfectionibus, lib. 11. c. 6. n. 31.)

in operibus suis, nisi esset adeo omnipotens et bonus, ut bene faceret etiam de malo. (Enchir. c. 11.)

560. *Probatio III. partis.* — Ex dictis manifestum fit, nihil admodum esse quod Manicheorum hypothesis probabilem efficiat. Tota enim in eo nititur, quod unicum solum principium summe bonum non videatur sufficiens ad rationem reddendam mali moralis. Atqui demonstratum est, id plane sufficere. Ceterum duo alia existunt specialia argumenta quibus tale figmentum excluditur. Etenim

I. Primo quidem nihil eo inelius fingi potest relate ad finem propter quem assumitur, supponunt enim bina principia ad invicem independentia, quorum alterum solius boni, alterum solius mali causa existit. Vel itaque dicuntur virtute pares vel impares, respectu scilicet effectuum qui unicuique tribuuntur. Si primum, nec bona nec mala in hoc mundo existerent; illa siquidem impedirentur a principio summe malo, haec vero a principio summe bono, et cum ambo supponantur esse paris efficaciae, neutrum alterum superare valerent. Si secundum, vel mala dumtaxat vel bona sine ullius mali admixtione conspiceremus, prout oppositum principium potentius aut esset malum aut bonum. Quod si fingatur cum Baylio, istiusmodi principia foedus quoddam inter se invivisse, vi cuius alterum alteri exercitium propriae activitatis permitteret, eo ipso conceditur, nullum esse inconveniens in eo quod a principio summe bono mala non impediantur. Atqui praecise inde adstruitur istiusmodi hypothesis, quod permisso malorum cohaerere non possit cum modo agendi principii summe boni.

II. Deinde eiusmodi figmentum in se spectatum est undequaque absurdum. Nam principium malum quod obtruditur, dicitur esse principium primum, h. e. ex alio non derivatum; additur proinde esse per se malum, h. e. essentialiter; exhibetur denique esse summe malum. Atqui tria haec sunt totidem absurda. Primum quidem, tum quia malum causatur ex bono; tum quia malum non est causa nisi per accidens, causa autem per accidens est posterior ea quae est per se. Repugnant etiam alia duo. Malum enim, ut malum, nequit esse nisi privato. Quidquid proinde

aliquid est, nequit per suam essentiam esse malum, multoque minus ex omni parte malum. Confer quae de hac re diximus in Philosophia Prima [483, seqq.]. Nec dicatur principium hoc dici per se ac summe malum, non quidem *in se*, sed *effective*, pro eo quantum de se est summe aliis nocivum, ut dicitur de daemone. Si enim tale principium in se habet bonitatem aliquam, eo ipso habebit naturalem aliquam inclinationem illi bonitati respondentem; haec porro tendentia non est in malum ut malum, sed in bonum, tametsi huic bono coniungi per accidens possit malum aliquod, ut in Philosophia Prima l. c. declaravimus. Ad illud vero quod additur de daemone, non est ad rem; non enim suapte natura, neque in naturali sua tendentia, sed malo abusu suae libertatis malus effectus est plurimumque malorum causa (1).

(1) Praeter generales rationes quibus ostenditur, nullam omnino rem esse suapte natura malam [Pr. Ph. 495, 496] S. Thomas specialem etiamque optimam adducit pro naturis intellectualibus, cuiusmodi sunt daemones, ductam scilicet ex specifica ratione talis naturae. * Omne quod est, ait, in quantum est et naturam habet aliquam, in bonum aliquod naturaliter tendit, utpote ex principio bono existens: quia semper effectus convertitur in suum principium. Contingit autem alicui bono particulari aliquid malum esse adiunctum, sicut igni coniungitur hoc malum quod est esse consumptivum aliorum: sed bono universali nullum malum potest esse adiunctum. Si ergo aliquid sit cuius natura ordinetur in aliquod bonum particulare, potest naturaliter tendere in aliquod malum, non in quantum malum, sed per accidens, in quantum est coniunctum eidem bono. Si vero aliquid sit cuius natura ordinetur in bonum secundum communem rationem boni, hoc secundum suam naturam non potest tendere in aliquod malum. Manifestum est autem, quod quaelibet natura intellectualis habet ordinem in bonum universale, quod potest apprehendere et est obiectum voluntatis. Unde cum daemones sint substantiae intellectuales, nullo modo possunt habere inclinationem naturalem in aliquod quodcumque malum; et ideo non possunt esse naturaliter mali. (Summa th. 1. p. q. 63, a. 4.)

Solvuntur difficultates.

561. **Obiectio I.** — Unum contrarium aliud inferi. Atqui existit summum bonum. Ergo datur etiam summum malum, utpote priori contrarium

Respondeo. *Concessa mai. et min. neg. consequ. eiusque suppositum.* Summum bonum nequit habere contrarium. Contraria siquidem habent commune subiectum, eisque privatio adiungitur quae inesse nequit nisi rei in potentia existenti. Atqui summum bonum, utpote actus purus, nec est in subiecto, nec potentialitatem ullam compatitur. Quare Angelicus, * Privatio, ait, et habitus nata sunt fieri circa idem. Subiectum autem privationis est ens in potentia, ut dictum est q. 48, a. 3. Unde cum malum sit privatio boni, ut ex dictis patet quaest. praeced. a. 1, 2, 3., illi bono opponitur cui adiungitur potentia, non autem summo bono quod est actus purus. (Summa th. 1. p. q. 89, a. 3. ad 2.)

Instabis. Contrarii effectus in causis contrariis referendi sunt. Atqui bonum et malum sunt effectus contrarii. Ergo postulatur causae contrarias.

Respondeo. *Dist. mai.* Si sint effectus per accidens, *neg.*; si sint effectus per se, *subdist.*; referendi sunt in causas contrarias particulares et proximas, *concl.*; in causas contrarias universales et primas, *neg. Contradist min. et consequ.* Nihil prohibet, quominus ex una eademque causa procedant bini effectus contrarii, quorum unus sit per se, alius per accidens: et hoc modo causa bona inducendo formam, qui est eius effectus per se et bonus, per accidens inducit privationem formae oppositae, quae privatio est quoddam malum. Quando vero effectus contrarii per se procedunt, causae quidem proximae et particulares erunt contrariae: minime vero haec contrarietas postulatur in ipsa causa prima et universali. Quod acutissime notavit Angelicus sui verbis. * Contraria conveniunt in genere uno, et etiam conveniunt in ratione essendi; et ideo, licet habeant causas particulares contrarias, tamen oportet de-

venire ad unam primam causam communem. (loc. cit. ad 1.) Confer testimonium eiusdem S. Doctoris paulo ante recitatum [557].

Obiectio II. — Magis et minus dicuntur per respectum ad aliquod summum. Atqui dantur mala alia aliis peiora. Ergo datur aliquid absolute pessimum, quo scilicet nihil peius.

Respondeo. *Dist. mo.* Sive per accessum sive per recessum, *conc.*; per accessum duntaxat, *subdist.*; si sermo sit de forma seu perfectione positiva, *conc.*; si sermo sit de privatione formae seu perfectionis, *neg. Conc. min.*; *neg. conseq.* * Unumquodque, ait rursus S. Thomas, intenditur secundum propriam rationem. Sicut autem forma est perfectio quaedam, ita privatio est quaedam remotio. Unde omnis forma et perfectio et bonum per accessum ad terminum perfectum attenditur; privatio autem et malum per recessum a termino. Unde non dicitur malum et peius per accessum ad summum malum, sicut dicitur bonum et melius per accessum ad summum bonum. (loc. cit. ad 3.) Ex quo etiam patet, minime opus esse, ut, ad mala quod attinet, ascensus fiat ad aliquid quod sit per essentialiam malum, quemadmodum diximus agentes de divina perfectione. Ut enim notavit idem Angelicus: * Nullum ens dicitur malum per participationem, sed per privationem participationis. Unde non oportet fieri reductionem ad aliquid quod sit per essentialiam malum. (loc. cit. ad 4.)

Obiectio III. — Deus in signo priori ad decretum creationis praevitit hominem, si conderetur, male usurum suo libero arbitrio. Debuisset itaque id impedire, quemadmodum paterfamilias, si posset, impedire deberet, quominus filii abutantur bonis quae accepturi sunt.

Respondeo. Ecclesiae Patres (1) in concertatione cum

(1) Huc pertinent Tertullianus (2. *Cont. Marcionem*, c. 1. 1., 7.); Hieronymus (Dial. 3. *Contr. Pelag.* n. 6.); Ambrsius (*De Paradiso*, n. 8.); Augustinus (2. *De Nupt. et Concupisc.* c. 16.); Nazianzenus (*Orat.* 42. fin.); Cyrillus Alexandrinus (9. *in Ioan.* c. 10.); Isidorus

Manichaeis hanc obiectionem passim expendunt. Concedunt equidem, eiusmodi praescientiam conditionalem antecedentem ad creationis decretum dari in Deo, nec ullo modo eam in dubium revocant. In ea vero solvenda toti sunt in eo, ut ostendant peccatum unice refundi debere in creaturae libertatem, quam Deus sicut non tenetur, ita ob fines suae providentiae sanctissimos noluit impedire. Nempe utuntur eodem argumento, quo nos etiam in demonstratione thesisi sui usum ad demonstrandum, Deum sine ulla laesione suae sapientiae et bonitatis potuisse eiusmodi mala permittere; tametsi certissime per scientiam mediam praevisa. Exemplum vero quod affertur ex patrefamilias perperam adducitur. Eatenus enim, plerumque saltem, ei imputantur mala filiorum ab eo praevisa nec impedita, quia ex pietatis officio tenetur curare quan-

Hispalensis (1. *De Summo Bono*, c. 13.); Damascenus (*Dial. contr. Manich.* n. 68.). In his vero testimoniis illud est notata dignissimum, hos Patres non solum ut rem certissimam supposuisse hanc praescientiam conditionalem in Deo, sed ne a longe quidem eos mentionem fecisse decretorum quae ante [489] meminimus et reprobovimus. Immo sapienter addit Suarez, solutionem his locis traditam a Patribus ad Manichaeorum obiectionem dissolvendam, nullam plane fore, si decreta istiusmodi darentur. * Si praescientia, ait, peccati sub conditione futuri supponit decretum illud, in quo eius veritas et illatio fundatur, potius quaerenda esset ratio, cur Deus tale decretum haberit; nam illi esset tota ratio admirationis, et difficultatis, et sine dubio esset maxima, et iudicio meo incalculabilis, quomodo Deus cum sit summo bonus et sapiens, sola libertate et nulla occasione sumpta ex determinatione creaturae, talem determinationem absolutam ex se haberit. At vero Patres nullam quaestionem de hoc moverunt, nec rationem talis decreti dare tentarunt. Ergo signum est, illam praescientiam quam supponunt, esse simplicem scientiam quasi naturalem in ordine ad decreta libera divina, quia ante illam supponitur, et ea non obstante decrevit Deus libere hominem creare et illi praecipitum imponere, et suae libertati eum committere. Et hoc est primum decretum liberum, quod Sancti circa creationem hominis vel Angeli ponunt, et ideo de illo solo rationem reddunt, cur illa praescientia ei non obstitit, quia nullam; imputant, hominis illi modo futura non potuit vincere bonitatem Dei, nec dehiit puniri antequam fieret. (De divina Gratia, to. I. Proleg. 2. c. 5. n. 15.)

tum potest, ut ab eiusmodi malis filii avocentur. Deus autem nec tenetur, immo nec potest in creaturas conferre thesauros omnes suae bonitatis, sed in numero, pondere, et mensura, prout ipse voluerit. Ad rem iterum B. Thomas. * Deus... non potest esse directe causa peccati vel sui vel alterius: quia omne peccatum est per recessum ab ordine qui est in Deum sicut in finem ... Similiter etiam neque indirecte. Contingit enim, quod Deus aliquibus non praebet auxilium ad evitandum peccata; quod si praeberet, non peccarent. Sed hoc totum facit secundum ordinem suae sapientiae et iustitiae, cum ipse sit sapientia et iustitia. Unde non imputatur ei quod alius peccet, sicut causae peccati: sicut gubernator non dicitur causa submersionis navis ex hoc quod non gubernat navem, nisi quando subtrahit gubernationem potens et debens gubernare. (Summa th. 1. 2^{ae}. q. 79. a. 1.)

SECTIO VII.

De primo generali effectu divinae gubernationis, quo res conditae in esse conservantur.

562. **Effectus divinae gubernationis.** — Post consideratam divinam gubernationem in communi, oportet advertantur animum ad ipsius effectus perpendendos in speciali. Qui vero sint effectus eiusmodi, sic nitide declarat Angelicus. * Dicendum, quod effectus cuiuslibet actionis ex fine eius pensari potest: nam per operationem efficitur ut pertingat ad finem. Finis autem gubernationis mundi est bonum essentiale, ad cuius participationem et assimilationem omnia tendunt. Effectus igitur gubernationis potest accipi tripliciter. Uno modo ex parte ipsius finis: et sic est unus effectus gubernationis, scilicet assimilari summo bono. Alio modo potest considerari effectus gu-

bernationis secundum ea quibus ad Dei assimilationem creatura perducitur: et sic in generali sunt duo effectus gubernationis. Creatura enim assimilatur Deo quantum ad duo, scilicet quantum ad id quod Deus bonus est, in quantum creatura est bona: et quantum ad hoc quod Deus est aliis causa bonitatis, in quantum una creatura movet aliam ad bonitatem. Unde duo sunt effectus gubernationis, scilicet conservatio rerum in bono, et motio earum ad bonum. Tertio modo potest considerari effectus gubernationis in particulari: et sic sunt nobis innumerabiles. (Summa th. 1. p. q. 103. a. 4.)

563. **Conservatio divina adumbratur.** — Age vero, ad conservationem rerum quod spectat, eo nomine duo significantur, nimirum persistentia rei in esse semel accepto, et influxus agentis vi cuius haec persistentia habeatur. Quocirca sola duratio rei non satis est, ut res conservari dicatur, quandoquidem nulla ratione dici potest, quod Deus in esse conservetur, tametsi in eo perfectissime duret. Requiritur proinde insuper, ut huius durationis ratio in aetivitate alienius agentis habeatur. Distinguit autem S. Thomas (Summa th. 1. p. q. 104. a. 1.) duplicem modum conservationis, alterum *indirectum* et *per accidens*, alterum vero *directum* et *per se*. Prior conservandi modus existit dupliciter. Primo quidem, quum res aliqua dicitur conservari eo quod removeantur aut arcantur corrumpentia, puta si quis puerum custodiat, ne in ignem decidat. Deinde vero, quum in re conservantur qualitates seu dispositiones sine quibus res nequit durare. Huc etiam pertinet modus ille conservationis quam nonnulli vocant *mediatam*, quo scilicet influxus conservantis non exercetur circa rem ipsam quae conservari dicitur, sed circa aliam unde prior dependet (1). Huius utriusque conservationi *indi-*

(1) Ex hac descriptione apparet hunc modum conservationis *mediatae* alium omnino esse ab eo, de quo loquitur Angelicus q. cit. a. 2. ubi concludit, Deum conservare res quasdam in esse mediantibus aliquibus causis. Nempe, quemadmodum Deus dicitur quaedam

rectae et per accidens opponitur conservatio *per se et directa*, quae habetur, ut ait S. Thomas l. c., *quando illud quod conservatur, dependet a conservante ut sine eo esse non possit*. Quae verba intelligenda sunt *formaliter*, sic nimirum ut intellectis hinc quidem ipso esse (non fieri dumtaxat) rei quae se conservari dicitur, inde vero re illa a qua conservatur, illud sicut proprius et immediatus effectus istius concipiatur, cuius proinde actione cessante nec ad momentum subsistere possit. De hac porro conservatione sermo est in praesenti; eamque B. Augustinus his verbis declaravit. * *Potest etiam intelligi, Deum requievisse a condendis generibus creaturae, quia ultra iam non condidit aliqua genera nova: deinceps autem usque nunc operatur eorumdem generum administrationem, quae tunc instituta sunt. . . . Creatoris namque potentia et omnipotentis atque omnitenentis virtus causa subsistendi est omni creaturae: quae virtus ab eis quae creata sunt, regendis si aliquando cessaret, simul et illorum cessaret species omnisque natura conderet. Neque enim sicut structor aedificum cum fabricaverit, abscedit, atque illo cessante atque abscedente stat opus eius: ita mundus vel ictu oculi stare poterit, si Deus regimen suum subtraxerit. Proinde et quod Dominus ait: *Pater meus usque modo operatur*; continuationem quamdam operis eius qua universam creaturam continet atque administrat, ostendit. » (4. *De Gen. ad litt.* c. 12.) Similiter alibi. * *Non sane Creatoris desistente bonitate et malis Angelis subministrare vitam vivacemque**

gubernare mediate, non quidem quasi sola virtus causarum secundarum in eorum regimine directe influat, sed ad significandum, quod Deus in tali regimine consortium causarum secundarum adsciscit: sic etiam dici potest res quasdam conservare mediis aliis causis, ut denotetur, eas in sua duratione non a solo Deo sed ab aliis etiam dependere. Quare idem S. Doctor sic ait l. c. in resp. ad 2. * *Deus immediate omnia creavit. Sed in ipsa rerum creatione ordinem in rebus instituit, ut quaedam ab aliis dependerent, per quas secundario conservarentur, praesupposita tamen principali conservatione quae est ipso.* » Confer quae diximus [*Pr. Ph.* 618, III].

potentiam, quae subministratio si auferatur, continuo interibunt. » (*Enchir.* c. 7.) Etsi vero, ut patebit ex dicendis, quae proferemus argumenta, rem omnem a Deo diversam complectuntur, in genere sive substantiae sive accidentis, maioris tamen perspicuitatis gratia, de conservatione praecipue rerum secundum ipsarum esse substantiale seu simpliciter dictum modo disputabimus. Quid enim sentiendum sit de conservatione accidentium, facile inde colligi poterit, attentis praesertim quae de divina cooperatione in sectione sequente enucleabimus.

THESIS XXVIII.

Creaturae omnes ingi eoque directo divinae virtutis influxu per se indigent, ut in esse semel accepto perdurent. Hic porro influxus sive actio, in his quae generatione producuntur, talis sit oportet, qualis postularetur, si solus Deus eas per se ipse produceret.

564. **Demonstratio I. partis.** — Duplicem afferimus probationem, alteram ex consideratione ipsius creaturae; alteram ex consideratione divinarum perfectionum.

I. Ex parte quidem creaturae, veritas haec necessario et proxime fluit ex th. XXI. Ostensum est enim, res conditas, qua et quia sunt contingentes, a Deo eoque solo pendere in esse, sicut a propria et proxima causa efficiente. * Sicut igitur, pergit S. Thomas, fieri rei non potest remanere, cessante actione agentis quod est causa effectus secundum fieri; ita nec esse rei potest remanere, cessante actione agentis quod est causa effectus non solum secundum fieri, sed etiam secundum esse, (*Summa th.* 1. p. q. 104. a. 1.) Res igitur conditae ingit, h. e. in singulis suae durationis instantibus, a Deo pendet, sicut a propria et proxima causa efficiente. Hoc autem perinde est atque adstruere conservationem de qua in thesi.

Confirmatur seu potius ulterius declaratur haec ratio, excludendo varios modos, quibus imaginari quispiam posset, res conditas a Deo in suo esse persistere, citra hunc continuatum divinae virtutis influxum. Quam enim nihil existat sine ratione sufficiente suae existentiae, haec profecto ratio assignanda est pro ipsa duratione seu perseverantia in esse rerum conditarum. Haec porro triplex excogitari potest. Vel enim est interna ipsi rei conditae, vel externa consistens in influxu effectivo alterius creaturae, vel denique externa quidem sed habita ex divina conservatione quam asserimus. Iam age, imprimis manifestum est, recurri minime posse ad secundam hypothesisin. Nam esse substantiale cuiusque creaturae, praesertim si creatione producitur, directe minime dependet ab influxu effectivo alterius creaturae. Ex quo fit, ut illae etiam substantiae quae generatione producantur, non desinat esse, tametsi desinat causa generans. Prior vero hypothesisi evidenter etiam excluditur. Istiusmodi siquidem ratio interna rei conditae vel est ipsa eius essentia, vel eius esse in primo instanti suae durationis, vel denique vis aliqua conservativa sui ipsius quam res supponatur accepisse a causa producente. Atqui nihil horum dici potest. Non primum, siquidem in solo ente per se necessario essentia est sufficiens ratio cur sit. Non alterum: nam esse cuiuslibet rei contingentis in nullo instanti decidit ab intrinseca et essentiali ratione secundum quam postulat ut ab alio efficienter dependeat: siquidem haec est ipsissima ratio contingentiae et limitationis, qua nihil magis intrinsecum et essentialie excogitari potest in esse quod non est infectum. Non tertium denique, quia vis istiusmodi quae fingitur, contradictionem involvit. Talis enim activitas supponeret esse rei cui attribueretur, sicut omne accidens subaudit esse sui subiecti: ex alia parte non subaudiret, siquidem ab ea fingitur ipsum esse rei dependere, ut a sua propria causa efficiente. Relinquitur igitur unica hypothesis probatu digna, quo sufficiens reddatur ratio durationis rerum conditarum, ut scilicet ex continuato eoque directo divinae virtutis influxu ea repetatur. Quare pulere Gre-

gorius M. de creaturis loquens: * Sunt enim, ait, haec omnia, sed principaliter non sunt, quia in semetipsis minime subsistant, et nisi manu gubernantis teneantur, esse nequaquam possunt. . . . Cuncta ex nihilo facta sunt, eorumque essentia rursus ad nihilum tenderet, nisi eas Auctor omnium regiminis manu retineret. » (16. *Moral.* c. 16.)

II. Demonstratur secundo eadem veritas, si perpendatur divina excellentia iuxta regulam illam ab Ambrosio traditam, quam non semel adhibuimus. *Quidquid religiosius sentiri potest, quidquid praestantius ad decorem, quidquid sublimius ad potestatem, hoc Deo intelligas convenire.* (1. *De Fide*, c. 16, n. 106.) Et re quidem vera, divina excellentia manifeste exigit primo quidem, ut omne ens contingens dependeat a Deo, ut a causa efficiente, dependentia quidem intimiori et magis essentiali ea qua creatura quaequam ab alia dependet efficienter: secundo vero, ut creaturae duratio intelligatur a Deo pendere, *permissivae* saltem, ut ita dicam, quatenus scilicet eam in nihilum non redigat, tametsi id absolute possit. Primum enim manifeste exigitur a ratione *primi principii*: alterum vero a *dominio absoluto* quod Deo convenit in res omnes. Atqui ex utroque capite colligitur conservatio quam tuemur. Patet haec minor quoad 1^{am} partem. Experimur siquidem in ipsis effectibus creaturarum quosdam dependent, cuiusmodi sunt, sed in esse etiam, a causa secunda dependent, cuius propterea actio si desinit, eo ipso desinit esse effectus eiusmodi. Ergo talis dependentia rerum a Conditore minime deneganda est, sed potius cum excessu affirmanda, quatenus scilicet extendatur ad rem omnem quae Deus non est. Quoad 2^{am} vero partem probatur. Annihilatio enim minime concipi potest per modum positivae actionis, quia omnis positiva actio necessario tendit ad aliquod esse. Si itaque Deus semper indigeret actione, ut rem destruat, eam profecto minime annihilare poterit. Debet proinde haec annihilatio concipi per solam remotionem sui influxus quo eam pergit conservare in esse.

565. *Declaratio et probatio II. partis.* —

Explicandam assumimus in hac parte, quantum imbecillitas humanae mentis patitur, propriam rationem actionis Dei conservatricis. S. Thomas paucis verbis ita eam declarat. *Conservatio rerum a Deo non est per aliquam novam actionem, sed per continuationem actionis qua dat esse; quae quidem actio est sine motu et tempore: sicut etiam conservatio luminis in aëre est per continuatum influxum a sole.* (Summa th. 1. p. q. 104. a. 1. ad 2.) (1). Ut vero id intelligatur, notandum est, dupliciter substantiam aliquam in esse prodire posse, scilicet per creationem, et per generationem. Si primo modo res producat, facile intellectus est, qualis sit actio quae conservatur. Quemadmodum enim esse rei istiusmodi idem est in sequentibus instantibus suae durationis ac in primo, sic etiam actio qua a Deo conservatur, reipsa non est alia ab ea qua primo creatum fuit.

(1) Solent Patres et Doctores pluribus aliis similitudinibus et rebus corporalibus ductis hanc Dei Conservatoris actionem adumbrare. Leonardus Lessius pulchre eas ita resumit. "Etsi, sit, unica sit et unius modi (divina conservatio), tamen quadruplici modo concipi potest. Primo, per modum sustentationis, quasi creatura Deo veluti firmissimo fundamento et fundo sit innixa, et ipse eam inferne quasi sustineat, ne in centrum sui nihil recidat. Sic Dionysius... Deum vocat *sedem omnipotentem, fundum, fundamentum omnium;* et Gregorius, *Deum esse infra omnia, et subius creaturam sustentare.* Secundo, per modum suspensionis. Deus enim creaturam ex abyssu nihil quasi trahit sursum versus seipsum ad esse et ad speciem certam, et in ea illam quasi suspensam tenet, ne in suam abyssum unde educa est, recidat. Sic Anselmus *portat, inquit, omnia, id est sursum tenet, ne decedant, et in nihilum revertantur, unde creata ab ipso fuerunt.* Idem insinuat verbum *dependere, dependentia.* Tertio, per modum influxus et subministratiōnis. Sic D. Augustinus et Dionysius vocat operationem, largitionem inderesinentem, et subministratiōnem esse et naturam. Idem significatur, quum dicitur Deus omnium esse, omnium vita. Quarto, per modum connexionis et constrictiōnis. Sicut enim res fluxa, nisi assidue constringatur et connectatur suis partibus, statim diffinit et dissolvitur: ita nisi Deus interius constringat et connectat particulas omnes minimas, aut totalitatem rei, ipsa tota in nihilum solvetur. Hoc significant Patres quum dicunt, *Deum omnia continere et constringere, πάντα συνέχειν καὶ συγκρατεῖν.* (De Perfectionibus Divinis, lib. X. c. 3. n. 25.)

Ratione tamen differt, prout ante declaravimus [539, nota]. Sin vero posteriori modo res accipit, per generationem scilicet, sedulo distinguere oportet ipsum esse eiusmodi substantiarum absolute consideratum, et inchoationem ipsius, prout de potentia materiae in actum educitur. Etsi autem utroque modo sit contingens ac participatum, adeoque ex efficientia alterius dependeat, ingens tamen discrimen existit inter utrumque. Etenim priori modo spectatum nec motum nec mutationem ullam implicat, sed est in instanti: quare verissime dicitur esse substantiale rei cuiusque situm in indivisibili. Alio vero modo consideratum, motum seu mutationem implicat, ut patet ex terminis. Inde autem fluit alterum discrimen. Scilicet, quum agentia corporalia non agant nisi transmutando, non sunt principia rerum quae ipsorum virtute generantur, nisi quantum potest se extendere causalitas transmutationis: hoc autem est, in quantum disponunt materiam et educunt formam de potentia materiae [154]. Quantum igitur, concludit S. Thomas, *ad hoc formae generatorum dependent a generantibus naturaliter, quod educuntur de potentia materiae, non autem quantum ad esse absolute. Unde et remota actione generantis, cessateductio formarum de potentia in actum, quod est fieri generationem; non autem cessant ipsae formae, secundum quas generatio habet esse: et inde est, quod esse rerum generatarum manet, sed non fieri, cessante actione generantis.* (Qq. Disp. Pot. q. 5. a. 1.) Haec etiam est ratio quamobrem substantiae quae generatione naturaliter producantur, nihil prohibeat, quominus citra generationem a solo Deo producantur, ut reipsa factum est in prima rerum molitione. Quibus positis, intelligitur, quid in thesei asserimus. Nempe, quum esse rerum eiusmodi, absolute spectatum, per se postulet efficientiam Creatoris, adeoque, ut demonstratum est, ab eo in singulis instantibus directe conservetur; dicimus, ad hunc effectum talem influxum divinae virtutis postulari, qualis esset si ipse solus, citra generationem causarum secundarum, rem primo produceret.

Ratio autem cur id asserere oporteat, facile elicitur

ex tradita declaratione. Etenim hae substantiae quae generatione producentur, non minus egent divino influxu ad sui conservationem, quam si a solo Deo producerentur: siquidem idem omnino utrobique elucet effectus. Atqui si a solo Deo producerentur, eadem plane actione ab eo conservarentur qua primo fuissent productae, ut paulo ante diximus de his quae creantur. Ergo actio qua res eiusmodi a Deo conservantur, talis sit oportet, qualis postularetur, si ipse solus per se eas produceret: quod certe mirum quantum commendat dependentiam qua singulis instantibus a Deo pendemus. Et hoc est quod ait Angelicus. * Dicendum, quod Deus non alia operatione producit res in esse et eas in esse conservat. Ipsum enim esse rerum permanentium non est divisibile, nisi per accidens, prout alieni motui subiacet: secundum se autem est in instanti. Unde operatio Dei quae est per se causa quod res sit, non est alia secundum quod facit principium essendi et essendi continuationem. » (*loc. cit. ad 2.*) Et alibi. * Immutationes... creaturarum, secundum quod sunt vertibiles in nihil, correspondent creationi rerum, prout scilicet producentur ex nihilo. Et ideo, sicut solus Deus potest creare, ita solus potest creaturas in nihilum redigere: qui etiam solus eas in esse conservat, ne in nihilum decendant. » (*Summa th. 3. p. q. 13. a. 2.*)

566. *Corollarium.* — **De conservatione accidentium.** — Ex praecedentibus manifestum est, ea quae demonstravimus de divina conservatione quoad esse substantiale creaturarum, dici etiam debere de his accidentibus quae in esse permanent, etiam remota vel cessante actione causarum secundarum unde producta fuerint, ut videre licet ex. gr. in habitibus qui ex frequentatione actuum in potentis gignuntur. Id ipsum a fortiori sentiendum est de iis quae sola operatione divina infunduntur, ut contingit in gratia sanctificante. Ratio plana est. Quum enim esse talium accidentium et ipsum per se et directe postulet efficientem causam, necesse est, in nullo instanti permanere posse intelligantur, quin haec efficientia in ea exercentur. Quum vero aliunde manifestum sit, causam unde hoc modo

dependent, non esse creaturam; siquidem permanere supponuntur, etiam remoto vel cessante influxu secundorum agentium: patet recurrendum esse omnino ad solam Causam primam quae ea in esse conservet. Quandoque vero accidentia etiam in conservari dependent per se et directe a causa secunda, ut sunt ex. gr. actus intrinsecae vitales. Porro in his etiam exercetur influxus Dei conservativus: ut patet ex his quae mox demonstrabimus de divina cooperatione seu concursu generali.

Solvantur difficultates.

567. **Obiectio I.** — Deus praestantioris virtutis est quam quaelibet causa secunda. Atqui causae secundae efficaciam habent ad producendos effectus, qui ipsarum influxu non amplius deinceps indigent quam semel fuerint producti. Ergo idem a fortiori dicendum est de Creatore.

Respondeo. *Concessa maiore, nego minorem eiusque suppositum.* In hac obiectione manifeste supponitur, commendari debere efficaciam causarum secundarum, eo quod eum suos producant effectus, nullum deinceps influxum exercunt quo ipsi conserventur. Atqui hoc falsum est. Id enim manifesto indicio est, eiusmodi effectus pendere ab his causis in fieri dumtaxat, non vero per se et directe secundum esse; quod quidem non commendat efficaciam virtutis talium agentium, sed eius insufficientiam potius ostendit, quum recurrere oporteat ad aliam causam, quo permanentia effectuum explicetur. Patet hoc ulterius, si, ut eleganti discursu expendit S. Thomas (*Summa th. 1. p. q. 104. a. 1.*), consideretur duplex modus quo contingere solet, quod effectus causarum secundarum permaneat, cessante ipsarum influxu seu efficientia. Primus patet in artificialibus. * Aedificator enim, ait S. Doctor, est causa domus, quantum ad fieri, non autem directe quantum ad esse eius. Manifestum est enim, quod esse domus consequitur formam eius: forma autem domus est compositio

et ordo; quae quidem forma consequitur naturalem virtutem quarundam rerum. Sicut enim coquus coquit cibum adhibendo aliquam virtutem naturaliter activam, scilicet ignis; ita aedificator facit domum adhibendo caementum, lapides, et ligna, quae sunt susceptiva et conservativa talis compositionis et ordinis. Unde esse domus dependet ex naturis harum rerum, sicut fieri domus dependet ex actione aedificatoris. (loc. cit.) Alius modus consideratur in productione rerum naturalium. Ideo enim res eiusmodi permanent, cessante actione producentis, quia esse earum absolute consideratum non involvit essentialem ordinem ad talem causam: unde istius efficacia non postulatur, ut res illae sint absolute in natura, sed solum quantum ad inchoationem ad esse quae habetur per talem transmutationem; ut praesertim videre licet in effectibus univocis (1).

(1) In effectibus univocis, puta in generatione viventium, res haec manifestissima est, quia scilicet in illud manifestum absurdum alias incidendum foret, quod idem esset per se causa suiipsius. Vide quae alibi diximus [Pr. Ph. 684]. Sin vero sermo sit de effectibus aequivocis, aliquando hi etiam inveniuntur pendere a causa secunda in fieri tantum, quemadmodum accidit tum in productione substantiarum anorganicarum, tum in productione quarundam accidentium. Quae vero sit generalis regula ad discernenda accidentia istiusmodi ab his quae a causa secunda pendunt non solum in fieri, verum etiam in esse, declaratum habes apud S. Thomam (Qg. Disp. Pot. q. 5. a. 1. ad 6.). Addi etiam potest cum Suarez (Metaph. D. 21. sect. 3. n. 14.), hanc dependentiam non in omnibus provenire ex eadem radice, sed iuxta diversitatem effectus naturam quaerendam esse in illo rationem talis dependentiae. Sic, in motu res facilis est: quia enim ipse consistat in quodam continuo fieri, et hoc sit eius esse, quemadmodum fieri non potest perdurare sine agente, ita nec motus sine movente. Simile est de actibus vitalibus, ob propriam scilicet rationem talium actuum, quae est ut informant principium a quo effective procedunt. Sic etiam species intentionales in sensibus exterioribus pendunt in esse a suis obiectis, cum sint propria instrumenta ipsorum pro cognitione intuitiva. Proportionali modo discurrendum est quoad reliqua istiusmodi accidentia, si qua sunt alia. Ex quo manifestus elucet quod ante monimus [520], si quando scilicet aliquis effectus dependeat a causa secunda non solum in fieri, verum etiam directe secundum esse, id minime contingere secundum

Hinc etiam in hoc manifeste conspicitur insufficientia potius, quam virtus causativa agentium secundorum. Contra res habet, si de Creatore loquamur, siquidem ipse per se est causa essendi rebus omnibus. * Deus, ait rursus Angelicus, non potest communicare alicui creaturae, ut conservetur in esse sua actione cessante, sicut non potest ei communicare quod non sit causa illius. In tantum enim indiget creatura conservari a Deo, in quantum esse effectus dependet a causa essendi. Unde non est simile de agente quod non est causa essendi sed fieri tantum. (loc. cit. ad 2.)

Instabis. Facilius est rem conservare quam producere. Atqui in creaturis inest virtus productiva. Ergo in eis etiam agnoscitur debet vis conservativa.

Respondeo. *Dist. mai.* Si sermo sit de conservatione indirecta et per accidens, *conc.*; si sermo sit de conservatione per se et directa, *neg. Conc. min. Dist. pariter consequens.*

Ad rem L. Lessius. * Si loquamur de conservatione directa per internum influxum, antecedens est manifeste falsum, ut patet in productione luminis, et omnium eorum quae per se non solum in fieri, sed etiam in conservari a sua causa productiva pendunt, ut sunt omnes res creatae quae a solo Deo conservantur: haec enim pendunt a Deo multo magis, quam lumen a sole. Unde non est facilius ea conservare in esse, quam primum producere, et aperte docent sancti Patres. Si vero loquamur de conservatione indirecta, quae fit amovendo corruptientia, vel applicando iuvantia; sic facilius est conservare quam producere: facile enim homo equum vel ovem conservat, quae tamen

generalem rationem omnibus communem; sed secundum aliquam rationem speciem et valde contractam. Quare oppido differt haec dependentia ab ea qua creaturae omnes a Deo in esse pendere dicuntur: hoc enim in ipsis veritatem habet, quae et quia esse habent participatum et finitum, quae est generatio et initium ratio quam cogitare licet in esse facto, prout huiusmodi.

nullo modo ipse potest producere. Sed talis modus conservandi nil ad rem facit, neque potest supplere defectum influxus interni causae a qua essentialiter secundum suam speciem et naturam individuum pendet. (De Perfectionibus Divinis, lib. 10. c. 4.)

Obiectio II. — Res quaelibet suapte natura tendit ad suam conservationem. Ergo res nulla tendit suapte natura in nihilum. Atqui eiusmodi tendentiam in nihilum subaudit conservatio divina quam adstruimus. Ergo haec admitti non debet.

Respondeo. *Dist. antec.* Res quaelibet suapte natura tendit ad suam conservationem, citra influxum causae a qua haec conservatio habeatur, *neg.*; dependenter a tali influxu, *conc.* *Dist. pariter consequens.* Nulla res tendit positive suapte natura in nihilum, *conc.*; nulla res tendit negative suapte natura in nihilum, *neg.* *Contradist. min., neg. consequ.*

Res quaecumque creata eo sensu dicitur suapte natura tendere in nihilum, quia si sibi relinquatur, remoto scilicet influxu superioris agentis a quo pendet, continuo desineret esse. Quare haec non est quaedam positiva tendentia seu nisus in nihilum, sed ipse naturalis, immo et essentialis defectus contingentiae quae est commune patrimonium cuiusque creaturae. Positiva tendentia seu appetitus naturalis rei cuiuslibet semper est in bonum, atque adeo in esse; et ita verissimum est, rem nullam naturaliter appetere suam destructionem. Quum vero hoc bonum quod est permanere in esse, necessario postulet influentiam divinae conservationis; hinc creaturae hanc naturaliter appetunt. * Dicendum, ait S. Thomas, quod licet quaelibet res naturaliter appetat sui conservationem, non tamen quod a se conservetur, sed a sua causa. (Qq. Disp. Pot. q. 5. a. 1. ad 13.)

Instabis. Creaturae saltem spirituales non videntur indigere hac divina conservatione: sunt enim per se immortales.

Respondeo. *Nego assumptum.* Ad probationem *dist.* Sunt per se immortales, immortalitate *essentially*, *neg.*; im-

mortalitate *naturali*, *conc.* Quomodo vero hanc naturalem immortalitatem intelligere oporteat, suo loco declaratum habes [243].

SECTIO VIII.

De concursu Dei generali.

568. **Argumentum.** — Agendum est modo de altero generali effectu divinae gubernationis [562], quo scilicet Deus singulis rebus ad ipsarum naturam accommodate cooperatur una cum ipsis influendo in earumdem actiones et effectus, quo divino influxu cessante, omnia eodem modo se habent, tanquam ratione, sensu, vita, motu, omnique vigore destituta ac plane mortua. Doctores omnes, uno excepto Durando (1), hunc effectum divinae gubernationis confitentur, nec levis momenti est, eum vindicare recteque exponere, quo praesertim generalis dependentia creaturarum omnium a Conditorum, quam huius Disputationis initio universe stabilivimus, sarta teetaque maneat. Ut autem ab ipsa explicatione tituli exordiamur, paucis declarare oportet, quid nomine *concursum generalis* a Doctoribus intelligatur.

I. *Concurrere* ex vi vocis tantumdem valet ac *simul currere*, et in re praesenti adhibetur ad significandum consortium alterius agentis quod simul operetur. Est itaque divinus concursus de quo loquimur, *cooperatio* quaedam

(1) * Quamvis non sit expressum dogma fidei, hanc concurrere esse necessarium, tamen est communis sententia Doctorum, uno excepto Durando (qui lib. 2. Sent. D. 1. q. 5. putat, Deum non concurrere cum creaturis ad operationem earum, nisi quatenus eis dedit vires operandi easque vires conservat), et consensum omnes Academiae Catholicorum. — L. LESSIUS (De Perfectionibus Divinis, lib. 11. c. 2. n. 8.).

divinae virtutis eum creaturarum actione. Dispesci solet in *mediatum* et *immediatum*. Dicitur *mediatum*, si actio divina concipiatur terminari dumtaxat ad id quod in creatura est suae operationis et effectus principium, ut est substantia ipsa, facultates operativae, et (respectu voluntatis liberae), cognitio praevia. Huc referre oportet concursum quem appellant *moraletm*, quo scilicet quis iubendo, suadendo, vel munitando dumtaxat alium iuvat. Hic enim influxus proprie exercetur in intellectum, cui proponuntur motiva quae voluntatem ad appetendum invitant, non vero proprie et immediate in ipsius voluntatis operationem. Patet autem, stricte ac severe loquendo, istiusmodi concursus a proprietate huius nominis desciscere: est enim quidam potius *praecursus* quam *concursum*. Habetur itaque secundo concursus propriissimi nominis seu *immediatus*, si ipsa creaturae operatio et effectus sic proficiantur a virtute ipsius, ut *sint etiam a virtute divina, tanquam ab immediato, licet non unico, suo principio effectivo*. Scilicet immediata illa dependentia, in genere causae efficientis, quae concipitur intercedere inter esse creaturae et virtutem divinae potentiae quae illud producit et conservat, concipi etiam debet inter illud quodcumque esse quod habet ipsa creaturae operatio et effectus, et eandem divinam virtutem. Hoc tamen differt inter utrumque, quod in actione Dei Creatoris et Conservatoris ipse solus rem creat et conservat, ut dictum est; in actione vero Dei cooperantis seu concurrentis consortium habetur ipsius creaturae una cum ipso agentis. De hac porro Dei operatione est sermo in praesenti.

II. Notandum est praeterea, hunc concursum vocari *generalem* duplici de causa. Primo quidem ita significatur, ad Deum pertinere praecise, ut est naturae auctor et provisor, adeoque operationes omnes causarum secundarum complectitur. Quocirca differt a concursu illo *speciali*, qui ad quosdam tantum effectus refertur, quique propterea a Deo procedit sub speciali quadam ratione non omnibus creaturis communi, cuiusmodi sunt ex. gr. quae ad ordinem *gratiae* pertinent. Secundo dicitur etiam generalis,

quia, tametsi Deus immediate inmediate suppositi (1) influat, ut dictum est, in creaturarum operationes, id tamen praestat, ut causa universalis influxu quodam indifferente ad varias actiones et effectus, quique ad varias species actionum et effectuum determinatur a particulari influxu causarum secundarum, atque adeo pro diversitate virtutis cuiusque ad agendum diversus evadit. Et hoc est quod B. Thomas expressit sic inquiring. *Primum... in omnibus effectibus est esse: nam omnia alia sunt determinationes ipsius. Igitur esse est proprius effectus primi agentis, et omnia alia agunt ipsam, in quantum agunt in virtute primi agentis: secunda autem agentia, quae sunt quasi PARTICULANTIA ET DETERMINANTIA ACTIONEM PRIMI AGENTIS, agunt sicut proprios effectus, alias perfectiones quae determinant esse.* (3. *Cont. Gent.* c. 66.) Et alibi. *Dicendum, quod licet causa prima maxime influat in effectum, tamen eius influenza per causam proximam DETERMINATUR ET SPECIFICATUR.* (Qq. *Disp. Pot.* q. 1. a. 4. ad 3.) Ceterum hoc postremum melius patebit ex dicendis.

THESIS XXIX.

Deus omnipotentiae suae virtute immediate cooperatur ad omnes et singulas actiones causarum secundarum, ita ut quicquid actualitatis est in cuiusque creaturae actione et effectu, a Deo procedat, tanquam ab immediato, licet non unico, suo principio effectivo.

569. *Demonstratio.* — Haec veritas evincitur proportionali quadam ratione, sicut egimus in thesi praecedenti.

(1) De hac distinctione inter agens immediatum *immediate suppositi* et immediatum *immediate virtutis*, vide quae alibi diximus [*Pr. Ph.* 632].

dente, ex consideratione scilicet tum imperfectionis creaturarum, tum perfectionum divinarum.

Argumentum I. — Operationes et effectus omnes cuiusque creaturae sunt aliquid positivum et effectum in natura rerum. Ergo immediate sint oportet a divina virtute, tamquam a sua propria causa efficiente. Antecedens est notum ex terminis. Consequentia vero constat ex praecedentibus. Ut enim demonstratum est in th. XXI ideoque postulat influentia, eaque per se et directa, in esse creaturarum, quia hoc esse contingens est et participatum. Atqui haec ratio aequè militat in quacumque re quae sit aliquid vere positivum et effectum in natura rerum. Ergo si operationes et effectus causarum secundarum sunt aliquid revera positivum et effectum in natura, a virtute divina procedere debent in eorum esse influente per se et directe. Talis autem influentia non habetur citra cooperationem immediatam quam asserimus. Hoc argumento B. Thomas evincit, actionem ipsam peccaminosam, in eo quod positivum habet, a Deo esse effective et immediate.

Cum actio, ait, etiam peccati, sit ens quoddam, non solum secundum quod privationes et negationes entia dicuntur, sed etiam secundum quod res in genere existentes entia sunt, eo quod et ipsae actiones in genere ordinantur, sequeretur, si actiones peccati a Deo non sunt, quod aliquod ens essentiam habens a Deo non esset, et ita Deus non esset universalis causa omnium entium. (2. *Disk.* 37, q. 2, a. 2.) Ipse Durandus vim huius rationis adeo persensit, ut (*Dist. cit.* q. 1. fin.) coactus fuerit affirmare, per actionem peccati nullum effectum produci in esse: quod certe frivolum est, siquidem ipsa actio quae supponitur, non est mera negatio aut privatio, sed aliquid per se ordinatum in genere et specie.

Confirmatur haec ratio, quia si qua esset creaturae operatio quae seipsa non procederet effective a divina virtute, ea esset potissimum operatio intellectus et voluntatis creatae: sunt enim nobiliores actiones, quaeque minus videntur pendere ab extraneo agente. In his itaque operationibus, positis omnibus ad agendum praerequisitis,

nativa virtus intellectus et voluntatis creatae censeretur deberet *adequate* sufficiens his effectibus producendis. Atqui consequens hoc est manifeste falsum. Ut enim in Philosophia Prima declaravimus [573], impossibile est, ut agens quodpiam perficiatur sine iuvamine alterius agentis, et hoc sensu merito axiomatibus accensetur proloquium illud, *Omne quod movetur, ab alio movetur*. Atqui manifestum est, intellectum et voluntatem creatam perfici dum ex actu primo suae operationis, ut ut completo, reducentur ad actum secundum, actualis scilicet intellectionis et volitionis. Ergo in his etiam operationibus nativa virtus creaturae, tametsi intracta omnibus praerequisitis ad agendum, censeretur minime potest *adequate* sufficiens, quae scilicet alterius agentis cooperatione minime indigeat.

570. Argumentum II. — Quum ratio primi principii Deo excellentissime conveniat, necesse est, ut ea ex nulla parte deficiat, sed sit omnibus modis absoluta. Atqui non esset eiusmodi, si ipse per se minime effective, influeret in omnes et singulas operationes creatorum agentium. Ergo hic influxus divinae virtutis est omnino asserendus. Probatur minor. Etenim quo ratio primi principii sit ex omni parte absoluta in Deo, oportet ipsa dependentia et subordinatio creaturarum respectu Creatoris sit etiam ex omni parte perfecta. Ad hoc autem requiritur, ut Deo subordinentur ab eoque dependant non minus quatenus agentia, quam ut sunt entia. Atqui ad perfectam dependentiam creaturarum a Deo, quatenus sunt entia, pertinet ut intrinsece et essentialiter earumdem esse a Deo pendeat, non vero extrinsece et denominative duntaxat a dependentia quam habet ab alio tertio. Ergo similis etiam dependentia a Creatore in eis agnoscitur debet, ut sunt agentia. Patet autem id minime haberi, seclusa divina cooperatione quam tenentur.

Confirmatur, quia profecto maxime commendatur absolutum dominium quod Deo ut primae causae rerum omnium convenit, si pro simplici nutu suae voluntatis cohibere possit quaecumque operationem causarum secundarum, idque immediate, quin scilicet destruat prin-

incipia, unde connaturaliter ipsae dependant. Sic enim optime intelligitur, quo pacto omnis omnino entitas creata essentialiter ac proprio titulo habeat, ut existere minime possit, nisi Deo volente: quod certe absolutum Dei dominium maximopere commendat. Atqui impedire creaturarum actiones hoc modo Deus aliter non potest, nisi quatenus potest negare concursum suum immediatum quo ipsae supponantur indigere, ut in rerum natura sint vel conserventur. Ergo talis concursus ad amplitudinem et perfectionem absoluti dominii pertinet quod Deo ut primae rerum causae convenit, adeoque asserti debet.

571. *Coroll. I.* — **Concursus Dei simulaneus est actioni creaturae.** — Patet haec collectio, si termini explicentur. Concursus dicitur *simulaneus* per oppositionem ad *praeivium*. Hic vero sic vocatur, quatenus divinae virtutis efficacia seu influentia intelligatur terminari, non per se et immediate ad ipsam creaturae actionem, sed ad aliquid in ipsa creatura a Deo productum, quidquid demum illud fuerit, quod dein per modum principii seu comprincipii se haberet respectu ipsius actionis a creatura elicitaе. Non est porro quaestio in praesenti, utrum nec ne res istiusmodi postuletur ut creatura queat agere: de hoc enim in sequente sectione disputabimus. Id unum modo asserimus, videlicet *concursum quem demonstravimus*, non consistere in ea re a Deo effecta creaturarum actioni praevia, ad quam divinae virtutis efficacia proxime terminari intelligatur. Dicimus contra, sic concipi debere concursum quem asserimus; ut ipsa creaturae actio, citra intermedium aliquid, *efficiatur sit a divina virtute*. Quare perinde est affirmare hanc simultaneitatem divini concursus ac edicere, cum esse in vero et propriissimo sensu *immediatum*, ut manifestum fit ex explicatione initio tradita [569]. Iisdem itaque argumentis utrumque conficitur. Quare optime M. Liberatore. * Si divinus concursus in re aliqua consisteret actioni creaturarum praevia; huius vi Deus in actionem non immediate influeret sed mediate, nimirum media re illa praevia ad quam eius operatio proxime terminatur. Ut igitur salvetur Dei concursus im-

mediatus, necesse est ut in ipsa actione creaturarum concipiatur, eamque intine attingat et quaqueversus penetret. Et sane concursus divinus, cum actio quaedam sit, aliquid in creatura producit. Si igitur hoc quod producit, distinctum est ab actione creaturae ipsique praeci; actio creaturae hoc sensu tantum procedat a Deo, in quantum procedit a Deo praeivium illud per quod ipsa iuvatur. Deus igitur non immediate, sed per intermedium aliquid in eam actionem influeret. Nec dicas, Deum sic praeivium illud tribuere, ut tamen continet suum influxum in actionem ipsam. Tunc enim haec influxus continuatio haberet rationem concursus; qui proinde non esset nisi simultaneus. Utrum vero, praeter hoc quod concursum constituit, requiratur aliquid aliud praeivium ex parte Dei, quod proprie non respiciat actionem sed virtutem creaturae, erit alia quaestio. (*Institutiones Philosophicae*, Theol. Natur. n. 66. Edit. 1881.)

Dices. Una operatio non est simul a duobus operantibus. Si igitur operatio creaturae est a Deo in creatura operante, non potest esse simul a creatura.

Respondet S. Thomas hoc modo. *Dicendum quod una actio non procedit a duobus agentibus unius ordinis; sed nihil prohibet, quin una et eadem actio procedat a primo et secundo agente.* (*Summa th.* 1. p. q. 105. a. 5. ad 2.) Et alibi. *Sicut non est inconueniens, quod una actio producat ex aliquo agente et eius virtute, ita non est inconueniens, quod producat idem effectus ab inferiori agente et a Deo.* (3. *Cont. Gent.* c. 70.) Quae doctrina ut plenius intelligatur et res tota explicetur, revoca in memoriam quod ante docuimus cum eodem Aquinate [508], in eo scilicet differre potentiam agendi in Deo a potentia activa creaturarum, quod illa, secus ac ista, non attingit suum effectum per actionem intermedium, cum ipse Deus, sicut est suum velle et intelligere, ipse etiam sit suum agere. Quocirca quidquid actualitatis est extra Deum, ad divinam virtutem comparate, non se habet per modum actionis sed per modum *effectus demerzati*. Quare operatio creaturae si comparatur cum divina virtute, proprie loquendo, non debet

dici actio ipsius, sed effectus (1). Iam age, si res ita consideretur, penitissime intelligitur, quo pacto una eademque creaturae operatio non partim fiat a creatura, partim a Deo, sed secundum se tota immediate procedat tum a virtute creaturae, tum a virtute divina, alio tamen et alio modo. Nam in ea spectari potest ratio *entis participati*, quae ratio est quasi transcendens, pro eo quantum omnia genera complectitur: spectari praeterea debet propria ratio secundum quam sub *generacione actionis* ordinatur. Hae porro binae rationes, ut patet, sunt maxime et intrinsece invicem subordinatae. Sic itaque intelligendum est, operationem creaturae alia et alia ratione seu titulo attribui debere, tamquam immediato agenti, tum causae primae, tum causae secundae: illi quidem sub generalissima ratione *entis participati*, ut sic; isti vero sub propria ratione *actionis et talis actionis*. El hoc est quod ait Angelicus sic inquires. *Quia forma rei est intra rem, et tanto magis, quanto consideratur ut prior et universatior; et ipse Deus est proprie causi ipsius esse universalis in rebus omnibus, quod in rebus omnibus est magis intimum rebus omnibus: sequitur quod Deus in omnibus intime operetur.* (*Summa th.* I, p. q. 105, a. 5.) Quibus verbis brevi aeque ac nitida quasi formula expressit Angelicus, tum generalem operationem divinae virtutis in rebus omnibus, tum rationem sub qua res omnes ab ea operatione dependent: nimirum illa eo redit tandem, ut nihil actualitatis extra Deum concipiatur quod ex divina

(1) * Ad universalem influxum primae Causae solum spectat, ut omnis actio causae secundae procedat a voluntate et potentia ipsius primae Causae, non vero quod procedat per aliam actionem externam, sed potest procedere per se ipsam immediate a voluntate seu virtute Dei. Unde quando actio creaturae dicitur pendere ex influxu vel concursu Dei, vel semitit concursus pro immanente et interno actu, quatenus influit in actionem externam, vel loentio non debet sumi transitive (ut sic dicam) nisi secundum rationem. Proprias enim dicitur, actionem creaturae esse etiam a Deo, et ut sic esse ipsam concursum Dei ad actionem causae secundae. S. SAREZ (*Metaph.* D. 22. sect. 3. n. 8).

virtute, ut a suo principio, non sit per se et immediate; haec vero est ipsa transcendens ratio essendi quam creatura quaeque cuiuscumque ordinis participat. Ex quo duo etiam ulterius intelliguntur. Primo, licet actio divina cooperativa non est creatio, si tamen spectetur ratio sub qua per se primo creaturae operatio subiicitur influentiae Creatoris, invenietur esse eadem quae est in actione creativa: quandoquidem ea est ipsa ratio *entis participati*, ut sic, quae est propria ratio, ut diximus [344, II], sub qua per se primo res creatione efficitur. Secundo, quotiescumque per actionem creaturae aliquis effectus ab ea distinctus efficitur, quemadmodum accidit in generatione, hic longe immediatius procedit a Deo, quam a virtute creaturae: nam a Deo est aeque immediate et sub eodem titulo ac a Deo est ipsamet creaturae operatio; contra a virtute creaturae procedit ope actionis intermediae, quo fit ut ea etiam cessante non semper effectus eiusmodi desinant esse.

572. *COROLL. II.* — *Quae prioritas sit asserenda actioni Dei concurrentis respectu operationis causae secundae.* — Si quae in precedente corollario probe teneantur, facilis intellectus erit haec quaestio. Iterum proinde advertet, hic sermonem esse de actione Dei *concurrentis*, quidquid demum sentiat de altera quaestione in sequenti sectione resolvenda. Iam age, ut actio Dei creativa dupliciter spectari potest [539], videlicet *entitative* et *formaliter*, ac *terminative* seu *passive*, item actio Dei *concurrentis*. Priori modo considerata, est ipsamet Dei substantia, ei propterea immanens: et sic manifestum est, eam esse natura priorem operationi creaturae; ad hanc siquidem comparatur ut vera causa efficiens ad sum effectum. Hoc modo S. Thomas exponit, qua ratione actio primi agentis, universe considerata, sit prior in movendo. *Quia, aut, actiones omnium secundorum agentium fundantur super actionem primi agentis, quae cum sit una communiter omnes firmans, specificatur eius effectus in hoc et in illo secundum exigentiam illius; sicut uno praeecepto ducis praecipiens bellum, unus accipit gladium, alius parat equum, et sic de aliis.* (3. *Dist.* 23. q. 3. a. 1. solut. 1.)

Mihi videtur plane manifestum, actionem hanc primi agentis esse ipsam divinam operationem ad extra, spectatam tamen entitative et formaliter, prout scilicet ex mente eiusdem S. Doctoris est ipsa divina substantia: sic enim dumtaxat asserti potest esse una, prout hic assertitur. Sic etiam S. Doctor actionem divinam considerat, quando (Qq. Disp. Pot. q. 3. a. 7. ad 3.) ait. *In operatione qua Deus operatur movendo naturam, non operatur natura: sed ipsa naturae operatio est etiam operatio virtutis divinae; sicut operatio instrumenti est per virtutem agentis principalis. Nec impeditur, quin natura et Deus ad idem operentur, propter ordinem qui est inter Deum et naturam.* Haec verba S. Doctoris manifestissima sunt, si intelligantur de divina operatione ad extra in semet inspecta: impium siquidem esset dicere, Deum esse subiectum operationi naturae, quatenus haec in Deum modificationem quampiam produceret: sic autem intelligi debere, patet aperte, si legatur ipsa difficultas in cuius solutionem haec ait Angelicus (1). Sin vero

(1) En verba difficultatis. "Si Deus operatur in qualibet operatione naturae, aut una et eadem operatione operatur Deus et natura, aut diversis. Sed non una et eadem. Unitas enim operationis attestatur unitati naturae; unde quia in Christo sunt duae naturae, sunt etiam ibi duae operationes: creaturae autem et Dei constat non esse unam naturam. Similiter nec est possibile, quod sint operationes diversae. Nam diversae operationes non videntur ad idem factum terminari; cum motus et operationes penes terminos distinguantur. Ergo nullo modo est possibile, quod Deus in natura operetur. In hac difficultate manifeste spectatur operatio entitative et formaliter, adeoque hoc modo consideratur a S. Doctore in solutione. Est autem constans ipsius doctrina, quod ipse Deus sit sua operatio. Quare manifestum est, in hac operatione, Deo scilicet immanente, naturam seu creaturam non operari, quia hoc tantumdem valeret quantum si dicitur Deus modificari posse per creaturam actionem. Nec refert, quod ipsa naturae operatio dicitur a B. Thoma *operatio divinae virtutis*: id enim verissimum est, pro eo quantum ipsa creaturae operatio est *effectus divinae virtutis*. Virtus enim divina, ut ante eum eodem B. Thoma docuimus [508, II], dicitur activa seu operativa ad extra, propterea quia est *principium effectus*, non vero propterea quia sit *principium actionis mediae*.

actio Dei concurrentis consideretur terminative seu passive, ea est *ipsa essentialis dependentia quam esse operationis creaturae dicit ad fontem essendi sui virtutem divinam*: quae quidem dependentia, cum sit relatio quaedam transcendens, nequit reipsa distingui ab ipsa creaturae operatione, ut generatim docuimus agentes de eiusmodi respectibus [Pr. Ph. 554]. Inter actionem proinde divinam hoc modo spectatam, et operationem creaturae nequit intercedere aliqua naturae prioritas verae causalitatis. Haec enim non potest dari nisi inter realiter distincta. Si tamen secundum praecisionem mentis operatio creaturae consideretur, ut est a causa prima, vel ut est a causa secunda, rectissime dici potest, ut notavit Suarez, *per prius et principalius esse a prima quam a causa secunda*. Etenim, ait, "primo, causa prima altior est, et nobiliori magisque independenti modo influit in effectum. Secundo, quia causa prima respicit per se primo actionem illam sub quadam universaliori ratione. Nam causa prima influit in quemlibet effectum vel actionem ex eo praecise quod aliquid entitatis participat; causa autem secunda semper influit sub aliqua posteriori magisque determinata ratione entis. Unde fit tertio, ut influxus causae primae ex se et genere suo dicitur etiam prior subsistendi consequentia, quam inter prioritates naturae Aristoteles posuit: nam influxus causae primae absolute non pendet ex causa secunda, sed quantum est ex suo genere potest esse sine illo, non vero e converso. Atque ad hunc modum explicuit hanc prioritatem seu subordinationem Caietanus 1. p. q. 14. a. 3., et insinuat Scotus in 1. Dist. 39. et in 2. Dist. 27., (Metaph. D. 22. sect. 3. n. 10.)

573. *Coroll. III.* — **Deus dici nec ne debeat causa totalis in concurrente, creatura autem causa instrumentalis?** — Postremo intelligitur ex dictis, quid sentiendum sit de duplici loquendi formula quae saepenumero occurrit apud Doctores probatissimos, cum de divina cooperatione loquuntur. Prior est qua Deus vocatur *causa partialis*: altera vero qua creaturae exhibentur, quasi *instrumenta* divinae virtutis. Haec itaque diligenter observa-

I. Causa *totalis* minime id ipsum significat quod causa *universalis*, ut manifeste patet comparando invicem utriusque definitionem alibi traditam [*Pr. Ph.* 614, 615]. Eti proinde fateamur omnes, Deum in concurrendo se habere, ut causam *universalem*, non propterea consequitur, in ea cooperatione dici debere causam *totalem*. Distinguere proinde oportet, ut loc. cit. notavimus, duplicem modum causae *totalis*, prout nimirum attenditur vel ad *totalitatem effectus*, vel ad *totalitatem virtutis*. Priori modo tum Deus tum causa secunda sunt causae totales, quia nimirum operatio causae secundae *secundum se tota* est ab utriusque virtute, tametsi alia et alia ratione, ut explicatum est. Alio modo e converso, nec Deus nec creatura possunt dici causae totales, quia scilicet sunt binae causae invicem distinctae, quarum neutra se sola tantam virtutem exerit quanta requiritur huic effectui producendo. Et ita hanc rem clarissime declaravit Molina, quem nonnulli iniuste omnino propterea reprehendunt. * Ex dictis intelligitur facile, si sermo sit, ait, de causa integra, ut comprehendit omnem ad actionem necessariam, sive ea universalis sit, sive particularis; Deum per concursum universalem cum causis secundis efficere unam integram causam coalescentem ex pluribus non integris comparatione cuiusque effectus, ita ut neque Deus per solum concursum universalem sine causis secundis, neque causae secundae sine concursu universali Dei sufficiant ad effectum producendum. At quem dicimus, neque Deum per concursum universalem, neque causas secundas esse integras, sed partiales causas effectuum, intelligendum id est de *partialitate causae, ut vocant, non vero de partialitate effectus*: totus quippe effectus et a Deo est et a causis secundis; sed neque a Deo, neque a causis secundis, ut a tota causa, sed ut a parte causae, quae simul exigit concursum et influxum alterius; non secus ac quum duo trahant navim, totus motus proficiscitur ab unoquoque trahentium, sed non tanquam a tota causa motus, siquidem quisvis eorum simul efficit cum altero omnes ac singulas partes eiusdem motus. Si vero sermo sit de integra, sive tota causa, non omnino, sed in aliquo

gradu causae, tunc Deus per concursum universalem est causa integra in gradu causae maxime universalis, eo quod nulla alia cum eo concurret in eo gradu causae; eodemque modo variae causae secundae possunt esse integrae eiusdem effectus, quaevis in suo gradu, ut sol et equus comparatione alterius equi generandi, sol quidem ut causa universalis, equus ut causa particularis. (*Liberi arbitrii cum gratiae donis Concordia*, q. 14. a. 13. Disp. 26. ANTEPRÆF. 1595.)

II. Quod vero spectat alium loquendi modum, sedulo, ad gravissimos errores vitandos, prae oculis haberi debet, instrumentorum esse genera duo. Sunt enim quae non sunt nisi *pura instrumenta*, quaeque propterea hac tantum ratione agere concipiuntur. Est autem de ratione causae instrumentalis, prout huiusmodi, ut agat virtute ab altiori causa in ipsum derivata, quae propterea non sibi sed huic altiori causae effectum assimilet [*Pr. Ph.* 612]. Erit itaque purum instrumentum, quod secundum suam naturam non est nisi principium passivum motus quo a principali agente movetur: et hoc modo se habent corpora inanimata respectu motus localis, quemadmodum sagitta quae proicitur ab exteriori agente. Tametsi enim, ut ante declaravimus [52], *impetus* ille quem recipit, et cui recipiendo est suapte natura idonea, vis quaedam activa sit, adeoque sagitta vere dicatur agere cum moveri pergit; non est tamen virtus ipsius sagittae, sed extrinseci dumtaxat proicientis, ad quod proinde ut merum instrumentum in eo motu comparatur. Iam age, ex hac simplici declaratione manifeste liquet, causas secundas non posse assimilari tali generi instrumentorum in suis actionibus connaturalibus, ad quas scilicet inditam et naturaliter proportionatam virtutem activam habent, multoque minus si sermo sit de actionibus intrinsece vitalibus, praesertim liberis. Est itaque aliud genus instrumentorum, quae scilicet ita sunt instrumenta, ut simul principalibus agentibus accenseantur, diversa licet ratione. Sunt nempe illa quae agunt quidem per virtutem suae formae, sed iuvanti indigent a virtute alio, ut effectum producant cui attrin-